

RK. 992, 41

B. n.

IIc
14

CONSILIVM
DE EDENDO
DVCTV AD LEGENDVM SCRIPTORES
GRAECOS LATINOSQVE
EXPONIT

ATQVE

SERMONES X 23A 3065

IN PAEDAGOGII ILFELDENSIS

AVDITORIO PRIMO

A. D. V NON. MART. H. C.

AB SEPTEM

IUVENIBVS ORNATISSIMIS

HABENDOS

HVMANITER INDICIT

M. CONRADVS NAHMMACHER

PAEDAGOGII REGII ILFELDENSIS DIRECTOR

SOCIETATIBVS LATINAE IENENSI ET THEOTISCAE HELMSTADIENSI

ADSCRIPTVS

HANNOVERAE

TYPIS EXSCRIPSIT H. M. POCKWITZIVS

CICIOCCLXIII.



1772. II. 11. 649

1772. II. 11. 649

CONSTITUTION

DE

REPUBLICAE

GRABOS

REPUBLICAE

REPUBLICAE

REPUBLICAE

REPUBLICAE

UNIVERSITÄT
MAGDEBURG




Vno libro exhibuisse, quae sunt in gestis priscorum hominum
commentitiis eorumque ritibus notaru dignissima, et quae in
vitis eruditorum occurrunt iucunda pariter ac vtilissima cognitu; e
re iuuenum, qui Musarum sacris initiandi sunt, fore, plurimumque
utilitatis habiturum, datis ad me non vnis litteris ostendit Ioannes
Petrus Miller, vir, de Gymnasio Halensi et vniuerse de reparanda
re scholastica optime promeritus. Omnia, vir Clarissimus, ad
captum iuuenilis aetatis vult referri; eumque esse Latini sermonis
hoc in scripto cultum coloremque, vt vel Latinitatis cognoscendae
caussa adhiberi in bonae mentis officinis queat. Neque tamen ex
integro, atque ex singulis eius particulis, nouus ei videtur liber
componendus esse: sed petenda omnia ex optimo quoque libro,
habito eo, quem causa iuuentutis formandae suadet, delectu; et
eis, quae commode alii, sed fusius, exposuere, in breuem sum-
mam redactis. Suasor mihi est idem, vt cum aliis consilium istud
communicem; prolusionem de eodem in publicam lucem emittam,
meque ad ipsum hunc librum scribendum accingam. qua in re ve-
reor, ne nimium quantum amicitiae & fauori, quo me subinde
prosequutus ille est, dederit. Equidem hancee occupationem monitus
haudquaquam subterfugerim, vel si parum habitura existimationis



laboriosaque videretur; quin experiar, an possim cogitate scribendo efficere, ut consilii sui non poeniteat doctissimum hominem; ita tamen, ut minime electus ad hanc rem mihi videar, sed ei suscipiendae ab aliis relictus. In primis autem consulendum putavi Clarissimum Ballhornium, qui et ipse hoc coeptum salutare literis fore arbitratur, seque mihi, eiusmodi quid molienti, adiumento futurum, ut est admodum humanus, promisit.

Expetendae eiusmodi scriptionis causae potiores hae esse videntur. Prima, quod praepropera ista festinatio, qua plurimi, ut nunc sunt tempora, sua in Academiam propellunt studia, univ-
 erse multis, qui iuuenum institutioni vacant, impedimento est, quo minus peculiare compendium Mythologiae, antiquitatum item Graecarum Romanarumque, explanent; et, si ad aliquod ex his literarum cognoscendarum adminiculis, aliquo scriptore duce, proponendum, animum aduerterint, reliqua fere praetereunda esse vident. Speciatim Graecas antiquitates videas tradi in Scholis paucissimis: non, quod iuuentutis ductores hoc parum putent ei conducere; aut quod rebus commodis auditorum seruire nolint: sed quod intelligunt, prorsus omittenda tum fore alia quaedam, quorum usus latius existimatur patere. Deinde sollicitos etiam bonos interdum viros habet, qui potissimum liber huius argumenti offerendus iuuenibus sit. Nam in libris, per se egregiis, haud tamen raro ea desideratur commoditas, quam iuuenilis aetas exigit: aut sunt verbosi nimis copiosique scriptores: interdum ea afferunt, quae excedunt tironum captum; aut ordine minus congruo vtuntur aut verbis, quae a loquendi usu abhorrent: nec raro, quo breuitati con-



confulant, obscuri fiunt; aut pietatis morumque nullam habent rationem, aut aliis laborant vitiis. Praeterea, quum in ludis literariis scriptores Graeci & Latini, quos classici dicunt, pertractari ad vnum omnes et illustrari nequeant; non modo ob numerum magnum, sed quod exempla etiam, quae redimi modico possint, parum superant: vt tamen de reliquis ea iuuenes cognoscant, quae illis afferre incitamenta possint, vt, quum primum se aliqua illis occasio obtulerit, euoluant ipsi eos curatiusque legant, perquam vtile et necessarium etiam esse, dabunt omnes. Sed hic, qui liber in his, quibus de vetustis scriptoribus agitur, satis idoneus & accommodatus dici ad praelegendum possit, equidem non video. Quin multi ex his ita sunt comparati, vt illos tradidisse iuuenibus, potius abstrahere hoc eos et abducere a continuata veterum lectione videatur posse, quam vt eam adiuet prouehatque.

Separatim autem definire, quae, quoue ordine, eo, quem Clarissimus Millerus desiderat, libro, afferenda sint, difficile videtur. Difficilius etiam fuerit, ostendere, vnde ea depromenda sint. Neque tamen non et mihi vtilissimum videtur esse, vt aliis ex libris probatis omnia repetantur; quid? si hac ex parte deseratur Milleri consilium, periculum esset, ne, quicumque istum librum componeret, vel inuitus aliqua ingenium ostendendi, vel nouitatis speciem dictis conciliandi cupiditate, induceretur, ad referenda ea, quae vsui huius libri penes iuuenes moram essent illatura. Quum primo de rerum proponendarum serie dispicerem, haec se mihi probabat. Primo capite agendum videbatur de veterum Graecorum et Romanorum satis; et quidem sectionis primae capite pri-

mo de fabulosis, quae ira vocant, Graeciae temporibus, deque prima reipublicae Atheniensis aetate, qua Reges eam tenebant; capite secundo, de altera eiusdem aetate, quum Archontes et Proceres eam capefferunt; capite tertio, de tertio eiusdem tempore, quo Tyranni eam occuparunt; capite quarto, de ea eius aetate, qua Oligarchia obtinuit; capite quinto, de eius tempestate illa, qua Macedones Graeciae principatum obtinuerunt; capite sexto, de gestis apud Spartanos. His in capitibus proponenda etiam per occasiones fuissent, quae memoratu digna euenerunt apud eos Graeciae habitatores, qui se, composito bello Persico, quumque iam gereretur bellum Peloponnesiacum, alii ex foedere, alii vi adducti, ad Athenienses aut Spartanos receperunt. De republica Cretensium autem, Argiuorum, Thebanorum, Corinthiorum, Syracusanorum, Corcyraeorum, Samiorum, Chiorum et Achaeorum, Aetolorumque, septimo capite quaedam videbantur afferenda esse. Sectione secunda mens erat exponere tribus capitibus de origine Romae, et Romanorum fati sub Regibus; de his, quae eis euenerunt, quum summa potestas esset penes Consules et in Triumviratu. Tertia sectione bella Graecorum et Romanorum recensere statueram, eum in modum, quo Cantelius de Romanorum bellis egit. Eorum enim plenior commemorationem ab reliquis rebus gestis seiunxisse, memoriae videbatur profuturum. Secunda in parte ritus utriusque gentis eo fere, qui iam vsu inualuit, ordine describere, tertia vero Mythologiam exhibere, mihi constitutum erat. Quarta parte de creueram de scriptoribus agere: nempe sectionis primae capite primo de ortu et progressu literarum apud Graecos vniuersae et speciatim de illustrium Graeciae Poetarum vita et scriptis; capite secundo

cundo, de Oratoribus Graeciae principibus; tertio capite, de claris Philosophis, seruato eo ordine, quem Masenius vsurpauit. Sectio-
ne secunda, de Literaturae apud Romanos ortu, de aetatis aureae,
argenteae, aeneae, & ferreae scriptoribus, dicturus eram quatuor
capitibus. Quod ad res gestas spectat, pleraque ex quinto, deci-
mo atque vndecimo tomo historiae vniuersalis, quae doctis Anglis
et Baumgartenio debetur, commode putabam peti posse, collatis
tamen ipsis fontibus, vnde sua illi hauserunt. Praeterea Pfeifferus,
Rosinus, Vossius, Fabricius, & ipsae Gronouii Graeuique collecti-
ones, nec minus Diogenes Laertius atque alii fuissent adeundi.

At enim vero, quum vix initium libri expediuissem, intelle-
xi, me eam rerum amplitudinem concepisse animo, quae iustae mo-
lis libro comprehendi non posset, citra aliquam aut perspicuitatis
aut commoditatis iacturam. Itaque, quum facile sit, isti scripto,
si bonorum iudiciis fuerit probatum, addere aliquid; in praecipuis
nunc legendorum auctorum adminiculis subsistam. Quatuor in par-
tes describendum istud opusculum putauerim: prima Mythologiam
complectar; altera Romanas antiquitates; Graecas vero tertia, et
quarta scriptorum Graecorum et Latinorum recensio. Pomeyi
elegans liber, in summarium redactus, quin vtilissimus futurus sit,
dubitare puto neminem. Inde igitur feci initium. Quodsi vero
intellexerim, prodesse iuuenibus posse, si qua addantur, latius ef-
ferantur, aut immurentur, eis fides certe mea operaque nunquam
deerit. Praeter auctores ipsos, qui ad manus sunt, et Natalem
Comitem, subinde, vti coepi, conferam Montfauconii antiquitates
explicatas; Begeri antiquitates varias, quae in tertio volumine the-
sauri Brandenburgici offenduntur; antiquitatum Graecarum Grono-
uui

uii volumen primum, secundum atque septimum; et Spanhemii observationes in Callimachi hymnos. Fabulas etiam complures in fine adiiciam, ea fere, quae se Dammio probauit, seric. In antiquitatibus enarrandis speciatim Nieupoortum, Cellarium et Lambertum Bos sequar duces, non tamen neglectis Graecarum et Romanarum antiquitatum thesauris; omnique annitar ope, vt has eam in formam redigam, quae iuuenibus aditum ad eas reddere possit faciliorem. Vltima pars, quae praecipua mihi videtur, ex pluribus libris congerenda erit. In aliis vtiliter adhiberi, vt opinor, hoc in loco poterunt Georgii Christophori Hambergeri *zuverlässige Nachrichten von den vornehmsten Schriftstellern, vom Anfange der Welt bis 1500.* qui liber nuper Lemgouiae prodiit; et vel maxime euoluenda quoque erit collectio vitarum Berolinensis, cuius prima pars vernacula lingua euulgata est anno superiori. (*) Haec de Milleriano consilio commemoranda censui, vt iudicium de eo facere docti homines possint; rogoque rei scholasticae peritos omnes demisse et instanter, vt, quum haec causa ad publicam vtilitatem spectet, aperiant mihi, quid forte ipsis displicuerit in allata ratione istud consilium prosequendi, et vt, quo pacto refici in melius posse, quaeue hic ipsis via proxima et compendiaria videatur, demonstrare comiter velint. quo facto, auctorem consilii pariter ac me deuinctum sibi et maxime obstrictum habebunt.

Vt vero rectius possit et facilius intelligi, qui sit liber, in quo faciendo iam occupatus sum, futurus, eiusdem exordium speciminis loco adiiciam.


MY.

(*) Index ita habet: *Lebensbeschreibungen der vornehmsten griechischen und römischen klassischen Schriftsteller, aus verschiedenen Sprachen zusammen getragen.*



MYTHOLOGIAE PRAECOGNITA.

Mythologiae est, de his, quibus praeter rem diuinus honor habitus fuit, neque minus de gestis commentitiis, iisue, quae fabulis sunt inuoluta, exponere. Caevis vero et antiquissimis iam temporibus fuere, qui res inanimes, ex quibus magnum ad mortales emolumentum venit, animantes esse fingerent, easque, neglecto etiam illo, quem esse arguunt, Deo, cultu diuino prosequerentur. Quin eo etiam dementiae processerunt multi, ut vel ipsa vitia, mente et forma quadam temere donata, in deorum numerum referrent. Insuper prodiderunt fata hominum ementita, & gesta, quibus honores diuinos sint promeriti, quae apud imperitos homines magnum obtinebant veri opinionem. Speciatim primae aetatis Graecorum historia fabulis obruta est et prorsus inundata. Non tenuissimam quidem auditionem de eis, quae in sacris tabulis afferuntur, a Phoenicibus Graeci acceperant: sed, quae apud alios effecta sunt admiratione digna, et tempore etiam alio, immo ipsa porrenta, a Deo edita, ad suos transferre nulli dubitarunt; atque his accessiones etiam ineptas adiunxerunt, iisque ea eum in modum implicarunt, ut iam non nisi obscura quaedam veri vestigia in eorundem scriptis, qua ista tempora, offendantur. Consilium hoc videntur iniisse, ut parum decore ab illis, qui regna apud se condiderant, aut rerum potiti essent, gesta, hoc pacto obliuione delerent: quod nimia admiratione quosdam ex his, qui strenuos se praestiterant, afficerent: quod nihil concedere Hebraeorum heroibus, nec antiquitate inferiores ea, aut aliis gentibus esse vellent; ac quod Poetae, qui de fati praeursorum Graecorum cecinerunt, immutationes verborum et sententiarum insignia vel nimio studio, vel parum cauti,



confectari sunt, adeoque ipsa suauitate, vt est apud Ciceronem, nocuerunt Poetarum vocibus fusa. Pleraque ex his, quae iam de Graecis dicta sunt, valent etiam de Romanis. Atque harum saltem gentium ratio habebitur in ea, quae iam consequitur, fabularum enarratione.


CAPVT I DE CAELICOLIS.

DE IOVE.

Iupiter, Diuum pater atque hominum Rex, regio exhibetur cultu. Ex manubiis Cartaginiensium aureo amiculo eius simulacrum ornarat Gelo. quod ei detraxisse dicitur Dionysio, Siciliae tyrannus. Sceptrum gerit ex Cupresso confectum. Additur plerumque aquila, quae fulmina ipsi subministrat: nam fulminis vibrandi potestas apud Iouem existimatur fuisse, idque vt plurimum dextra etiam praefert.

IOVIS GENVS.

Plures omnino perhibentur Ioues fuisse; sed qui in his claritate praestat, Saturni fuit Opisque filius. Sollicita mater quum eum in Dicte, antro quodam insulae Cretae, enixa esset, eundem Curetibus, sacerdotibus Cybeles, custodiendum tradidit; alendum vero Adrasteae et Idae, Nymphis, quae ei lac caprae Amaltheae praebuerunt. Ex pelle, huic caprae detracta, Iupiter postea scutum confecit, quod inde aegis dictum est: altero autem eiusdem cornu, cui ea erat vis attributa, vt, quicquid vellent, qui istud essent adepti consequerentur, suas donauit nutrices.




IOVIS FACINORA.

Titanibus (de quibus alio loco dicitur) Gigantibusque bello domitis, Saturnum patrem Iupiter exemit vinculis, eundemque aliquanto post, infidias sibi parantem, folio deiecit regnoque expulit, ac cum Neptuno et Plutone, fratribus, paternam adiit haereditatem.

Quum ad Iouis aures rumor de impietate mortalium delatus esset, eiusque infamiae explorandae causa humana sub imagine lustraret terras, venit in *Lycaonis*, Arcadiae Regis, domum. Hic iridet deditos sacris Deo faciundis, utque experiretur, utrum mortalis esset, nec ne, somno grauem occidere parat; nec eo contentus, obsidis vnus, de gente Molossa missi, carnes assas elixasque ad epulum Ioui apponit. Iupiter vero vindice flamma eius regiam incendit, eumque fugientem in lupum vertit.

Acrisius, Rex Argiuorum, *Danaen* filiam turri aenea inclusit, adhibuitque custodes: quod oraculum ostenderat, se a nepote occisum iri. Iupiter vero, in precium aureumue imbrem conuersus, per regulas ad eam defluxit, suscepitque ex ea Perseum.

Ad *Callistonem* Nympham, Lycaone Arcadum Rege genitam, Iupiter, Dianae, quam comitata erat, faciem indutus, accessit. Diana vero, quae vitium ab ea admissum reperit, eam secedere suo de coetu iussit, estque, Arcade in lucem edito, a Iunone in vrsam mutata. Arcas eam propius accedentem telo erat transfixurus, nisi Iupiter ambos inter sidera iuxta polum, qui inde arcticus dicitur, retulisset. quod Iuno grauitur tulit, et a Thethy et Oceano imperauit, ut puro aequore ista sidera non tingantur.



Ganymedem, Trois filium, in Ida monte venantem, per immissam rapuit aquilam, vel ipse potius mendaces gerens aquilae pennas, in caelum extulit, qui pocula miscet, et nectar ei ministrat.

Europae, Agenoris Phoenicum filiae, se tauri, coloris niuei, specie obtulit; et, quum ausa esset considere eius tergo, per vndas eam in Cretam deuexit. Agenor Cadmo filio imperat raptam perquirere, eique simul exilium, si eam non reperisset, indicit. Hic, orbe pererrato, ex oraculi responso bouis vestigia legens, eam est in regionem delatus, quae inde Boeotiae nomen sortita est. Socios ipsius aquatum euntes perimit Draco, Marte Venereque genitus. quos caede draconis vitus est. Dentes eius, quorum triplex ordo erat, Mineruae iussu supponit terrae, vnde surgit armorum seges, qui suo statim Marte et ciuilibus bellis extincti sunt, quinque exceptis, quos in condendis Thebis adiutores habuit. Tandem vero luctu serieque malorum et ostentis victus, sua vrbe conditor vna cum coniuge Harmonia exiit, suntque serpentes facti. Ceterum dicitur inuenisse sedecim literas Graecas, quibus Palamedes, tempore belli Troiani, quatuor aspiratas adiecit.

IOVIS NOMINA.

Iupiter Hammon (arenarius) arietis cornua praeferens in arenosis et desertis Lybiae locis colebatur. Ibi enim *Bachus* templum Ioui excitauit, quod, profecturus in Indiam, hic ariete obuius deductus ad fontem esset. Arietis etiam capite amputato, et pelle eiusdem villosa indutus, *Iupiter* se dicitur *Herculi* obtulisse. Oraculum Iouis Hammonis in extremo Lybiae sinu ante Delphicum fati celebre


Iupiter Anxur
(aueu Iupit)

lebre fuit. Simulacrum, quum responsum peteretur, nauigio aureo gestabant sacerdotes octuoginta, quo se eius nutus ageret.

Capitolinus dictus est a Capitolio, templo, in Tarpeio vel Saturnio monte sito, quod Tarquinius Priscus vouit, Tarquinius superbus aedificauit, et Horatius Puluillus dedicauit, qui ne nuncio quidem incusso, mortuum eius filium esse, a proposito potuit dimoueri. Nomen ei est a capite humano vel Toli cuiusdam, quod integra facie aperientibus fundamenta templi dicitur apparuisse. Frons eius versus meridiem spectabat, et porticum habebat cum triplici columnarum ordine: in lateribus vero duplex fuit ordo. Tres erant aedes vel delubra paria communibus in lateribus: medium Iouis; hinc et inde Iunonis et Mineruae sub eodem recto et pinnaculo. In area sub terra fauissae vel cellae fuerunt, in quibus reponi solebant vetera collapsaque signa. Non semel Capitolium flammis consumtum est, estque resectum ab Sylla et Q. Catulo, Vespasiano et Domitiano.

Dieuspiter idem est ac dei pater; inde et lingua Osca Lucetius Iupiter dictus est.

Dodonaeus, a Dodona, Molossorum vrbe, a Nympha Oceanitide ira dicta. Huic vrbi finitimum erat nemus, Ioui sacrum, quercubus constitum, vetustissimo totius Graeciae oraculo celebre, in quo prope statuum Iouis lebes erat collocatus, vnde harmonicus quidam sonus edebatur. Responsta consulentibus dabant duae columbae; aut vocalibus quercuum ipsarum foliis edebantur oracula.



Elicius dicitur, quod preces eum caelo eliciant. *Feretrii* cognomen Deo addidit Romulus, quum spolia Acronis, ducis Caecinenfium, caesi, fabricato ad id apte ferculo, ei offerret, et sedem optimis spoliis, id est, his, quae dux in pugna hosti detrahit, dedicaret.

Iupiter. Istud nomen ortum est ex antiquo nominatio Iouis addita voce patris; atque adeo, quod elisis aut immutatis literis est Iupiter, id plenum atque integrum est Iouis pater: deorum enim atque hominum pater existimatus fuit.


Latialem Iouem Tarquinius superbus consecrauit, vt ab omnibus Latii populis coleretur, quum latinas ferias communiter in Albano monte celebrarent.

Lapis, a lapide silice, quem iurantes tenebant. Ipsum iusurandum concipiebant his verbis: Si sciens fallo, ita me Diespiter, salua vrbe arceque, bonis eiiciat, vt ego hunc lapidem.

Nicephorius, victoriam gestans, cuius responso Adrianus, ad imperium se euectum iri, accepit. *Opitulus* ab ope ferenda, *optimus* propter beneficia, *maximus* propter vim, appellatus est.

Olympius, ab Olympia vrbe, templo et ludis, in eius honorem habitis, clarissima. *Praedator* etiam dictus fuit, quod ei aliqua praedae pars deberetur; atque summi *Regnator* Olympi, id est caeli.

Statori Ioui templum Romulus in pugna cum Sabinis vouit, vt demeret terrorem Romanis, fugamque foedam sifteret. Obtinuit insuper *Seruatoris*, *Tonantis* vel *Tonitrualis* nomen. *Trioculus*
voca-



vocatur ad significandam triplicem eius potestatem, in caelo nempe terra atque mari: item *Veiouis*, seu *Veiupiter*, quod idem est ac minime iuuans et noxius: nam *VE* negandi vim habet. *Vltor* etiam conuocatus est; et *Xenius* vel *Hospitalis*, quod hospitibus iura dare existimaretur. A Graecis dicitur *Zeus*, quod vitam tribuat animalibus, cuius genitiuus est *Διὸς*, datiuus *Διι*, accusatiuus *Δία*, vnde istud, *ὡς τὸν Δία*, per Iouem, vocatiuus *Zēv*.

FABVLAE SENSVS.

Iouis nomine aethera, sublime candens, aëremue videntur conuulisse homines. vnde frigidus dicitur, maturis vis metuendus, et pluuius, cui herba supplicet.

DE APOLLINE.

Apollini, vti etiam *Bacho*, aeterna fingitur iuuenta esse, et vulgo intonsis pingitur crinibus. Manibus tenet aliqua rerum ab se repertarum signa, veluti serpentem, arcum et pharetram, lyram vel citharam: et gestat interdum coronam, ex lauro, sacra ipsi arbore, confectam; pallamque seu chlamydem a tergo reiectam.

EIVSDEM GENVS.

Quatuor perhibentur fuisse Apollines: sed omnes res aliorum gestae ad vnum Apollinem, Iouis et *Latonae* filium, referuntur.

APOLLINIS FACINORA.

Medicinae, cuius symbolum serpens est, inuentor existit; sagittariae etiam artis, diuinationis, Musicae et Poeticae artium, vnde *Musis* praesse creditus fuit.

Cyclo-

Cyclopas sagittis transfixit: quod Iupiter Aesculapium filium suum fulmine, cuius illi fabricatores erant, peremerat. Eam ob rem exulare in terris iussus, Admeti Thessaliae Regis pecus per nouem annos paut, orique pertaesus citharam inuenit. Huius Admeti vxor Alcestis volens se pro ipso morti deuouit, quum oraculum ostendisset, eum ex graui, in quem inciderat morbo, conualescere non posse, nisi quis ex amicis eius fata subiisset.

Troiae muros ad Lyrae cantum excitauit Laomedonti pro pacto auro.

Hyacinthum, elegantis formae puerum, Apollo atque Zephyrus carum habuerunt. In disci autem certamine, quod per iocum cum eo inierat Apollo, resiliens ex terra orbis in vultus pueri, nimium tollere properantis, actus est. Quod putant Zephyri inuidia euenisse, qui senserit, sibi Apollinem ab Hyacintho praeferrere. Cruor eius post obitum in florem, eius nomine inscriptum, cessit.

Cyparissum adolescentem, qui ceruum ad homines adfuetum, imprudens occiderat, nec solatium admitteret, in arborem sui nominis commutauit.

Daphnen est insequutus, quae Peneum patrem, Thessaliae fluvium, precata est, vt sibi mutando figuram auxilium ferret, impetrauitque, vt, crescentibus brachiis pedeque terra haerente, laurus fieret.

Leucothoen adiit versus in faciem Eurynomes matris. Id parenti Orchamo, Babyloniae Regi, Clytie eius soror indicat, qui
ferox

ferox precantem alta humo defodit. Apollo nectare corpus et locum eum sparſit, indeque turea ſurrexit virga. Clytie vero, ſubinde vultus ad ſolem fleſcens, in florem, quem heliotropium dicimus, mutata eſt.

Tibiis cum Apolline contendit *Marſyas* Satyrus, ea condicione, vt, qui alterum vicerit; in eum pro lubitu et acerbius faceret. Victo pellem Apollo detraxit. Ruris autem incolae lacrymis eum eoque ſietu proſequuti ſunt, vt inde flumen increuerit.

Pan etiam cum Apolline tibiis canendo decertauit. Viciffe Apollinem iudicauit Tmolus, Lydiae mons: *Midas* autem, Phrygiae Rex, palmam ad Pana refert. Enimvero Apollo, ob ineptum iſtud aurium iudicium, eas humanam figuram retinere non patitur, ſed trahit in ſpatium, villisque albenſibus implet; immo inſtabiles facit. Tantum dedecus tentauit quidem purpureis tiaris velare. Sed famulus tamen, capillos reſecare ſolitus, vidit, et, quum prodere aude- ret nemini, nec tamen reticere poſſet, immurmurat, quid vidit, foſſae, et regeſta terra abit. Sed, quae eo in loco ſurrexerunt arundines, retulere obruta verba.

Vates, quorum geſta ad Apollinem pertinere videntur, lauri veſcebantur foliis. In his, praeter Tircſiam, memorabilis eſt *Calchas*, qui, a Mopſo artis diuinandi peritia victus, moerore exſtinctus eſt. *Sibyllae* vaticinae virgines mulieresque fuerunt. Erythraea de belli Troiani exitu cecinit. Cumana ad Tarquinium Priſcum attulit libros nouem, qui primo redimere eos immenſo, quod poſcebat, pretio noluit: quum vero ſex exuſſiſſet, attentiore animo factus, reli-


reliquos nihilo minore pretio mercatus est, quam quod erat petitum pro omnibus. Conditi sunt in Capitolii sacrario; et eos, quasi oraculum, adierunt apud Romanos quindecimviri sacris faciundis, eisque flammis consumtis aliunde petita carmina Sibyllina asseruarunt. Ex his, quae hodie id nomen praeferunt, paucissima ab ipsis profecta sunt. Tyrrhenus quidam arator vidit, glebam in mediis aruis nullo agitante moueri et sumere hominis formam. Hic *Tages* est dictus, et primus Etruscam gentem edocuit futura aperire. *Accius Nauus* a Tarquinio Prisco iussus inaugurare, fierine possit, quod nunc mente conciperet, rem augurio expertus, profecto futuram dixit, et haud eriam cunctanter cotem nouacula discidit, quum Rex ostendisset, id se cogitasse.

APOLLINIS NOMINA.

Apollo istud nomen adeptus est, quod certa sagitta *perdit*: ea enim est vis verbi Graeci ἀπόλλυθαι. *Delius* ab insula Delo, in medio Cycladum sita, in qua editus est in lucem. Quotannis eo sacrae legationes (*Θεωρίαι*) Atheniensium aliorumque, religione ritumque peculiari, mittebantur.

Delphicus, a Delphis, Boeotiae vrbe, quae, quod aquilae duae, quarum alteram ab occidente, ab oriente alteram Iupiter emiserat, hoc in loco sibi occurrissent, umbilicus terrae dicta est. Delphici Apollinis oraculi summa fuit celebritas. Pastor quidam, iuxta eum locum, in quo postea Apollinis templum conditum est, agens pecus, animaduertit, capram, quae ad terrae quendam hiatum frequenter accederet, exsilire miris modis, vocemque insolitam edere; et, quum ipse propius accessisset, exploraturus, quid
rei

rei esset, furore correptus praesensit futura. Idem euenit aliis. Naturalia eius loci praesidia multum habebant admirationis. Media saxi rupes in theatri formam recessit. In hoc rupis anfractu, media fere Parnassi altitudine, planities exigua erat, inque ea profundum istud terrae foramen, ex quo frigidus spiritus in sublime expellebatur. Partes excipiendi et referendi responsa primo datae sunt puellae; consequente autem tempore grandaevae mulieri, quae Pythia dicta est. Accidit autem, ut piscatores, iactis in mare retibus, reperirent Tripodem, id est, vas aureum ansatum ternisque pedibus nixum, et, quum singuli illum sibi vindicarent, grauis inde orta est rixa. Pythia consultata respondit, mittendum eum esse Graeciae sapientissimo. Itaque delatus est ad Thaletem Milesium: at iste ad Biantem, ut sapientiore, remisit; et hic vicissim ad alium; quoad, ab aliis missus deinceps ad sapientes alios, orbe confecto sapientum, Tripus rediit ad Thaletem, qui eum denique dicauit Apollini Delphico. Olim quidem semel tantum in anno, et statim quodam die, postea singulis mensibus, oraculum Delphicum consuli potuit. Aduentante die, forte eligebantur e Delphis primates viri, qui Tripodi Delphico adstant; ibique ab iis sortes iaciebantur, quinam, et quo ordine, ex iis, qui nomina tum Delphis ad consulendum oraculum, oblatis prius pro more deo donariis, ediderant, essent admittendi. Vbi fors exiisset ei, cui illa obtigerat, tum laxatis templi foribus, et mactata prius ad aram oui, patebat in sacellum eiusdem aedis, odore suauis fragrans, ac ad sacrum ibi Tripodem septo vallatum, aditus. Ibi tum laurum gestans ac in eadem cella seu sacello sedens, sciscitatus ea de re, cuius causa accesserat oraculum, a vate Pythia, quae prius antrum, cui impositus erat Tripus, ut



eidem insideret, subierat, et tota quasi a Deo commota et afflata, immo, tanquam Apolline praeunte, ferebat responsum; illudque versibus plerumque hexametris, interdum trimetris, rarius autem soluta oratione. Ipsa responsa partim casu vera erant, ut fit in omni oratione saepissime; partim flexiloqua et obscura, ut interprete egeat interprete, et fors ipsa referenda sit ad sortes; partim ambigua. Exemplorum abunde est. Athenienses bello Persico responsum tulerunt de muris ligneis, quibus naues indicabantur. Iidem, exercitum missuri in Siciliam, iussi sunt adhibere sacerdotem arcessitam Erythris, nomine Ἐρυθρίων; quo quum significetur quies, moriebantur Athenienses, ut quiescerent. Philippus magnus, Alexandri magni pater, iussus est pugnare argenteis lanceis, id est, pecunia animos corrumpere. Opulentissimo Regi Asiae Croeso haec fors edita est: Croesus Halym penetrans magnam peruerteret opum vim. Hostium vim sese peruersurum putauit, peruertit autem suam. Pyrrho responsum: Aio te Aeacida Romanos vincere posse. Demosthenes iam istud oraculum culpauit, et cum Philippo dixit facere; desitque eiusmodi responsa edere diu ante Ciceronem, postquam homines minus creduli esse coeperunt.

Didymus, a gemino sidere: Luna enim eius soror est: *Musagetes* vel *Musagetes*, quod Musarum praeses est: *Nomius*, quod Admeti gregem in pascua egit: *Paean* a feriendo, quod Sol radiis, velut iaculis, ferit; et vniuersae etiam victoribus acclamatum: *Io*, *Paean*. *Phoebi* quoque nomen ad Solem spectat, qui est lux vitae (*Φῶς βίης*). *Pythius*, a Pythone serpente, quem quarta a natali die centum sagittis interfecit, qui, quum et Delphina dicatur, inde Delphinii etiam cognomen Apollo traxit.

Sacrae ei in aubus sunt accipiter et coruus.

DE SOLE.


Apollinem ac Solem pro deo eodem multi habuerunt, et possunt ad hunc, quae de eo commenti sunt veteres, commode singula transferri. Aliis tamen diuersa numina videbantur, nec eodem eos modo colebant. Itaque et de Sole separatim dicendum. Refert ille formam iuuenis, capite radios emittente. Filius est Hyperionis, vnus ex Titanibus, qui bello contra Iouem abstinuit. Nomen Soli inde est, quod solus ex sideribus est tantus; vel quod, quum exortus est, obscuratis omnibus, solus appareat. Persae cum Mitram vocant.

EIVSDEM GESTA.

Rhodon, Neptuni filiam, amauit, a qua insula Ophiosa vel Aetherea, Lyciae adiacens, Rhodus est appellata. Fuit ea insula Soli adeo grata, vt semper (quamuis nebuloso aëre) aliqua diei hora eius radii eam illustrarent. Rhodii autem Colossenses dicitur, a *Colosso*, statua Solis vastae molis, LXX cubitis a basi in altitudinem furgente, quem Chares Lindius iuxta portum vrbis ex aere fusili, impendio publico talentorum CCC (Rhodium talentum valet numos argenteos vnciales DLXII, et quod excedit) struxisse perhibetur duodecim annis. Post LXVI annos autem ingenti terrae motu quassatus, fractis genibus concidit. Relatus ille fuit inter septem orbis miracula, in quibus insuper habitum templum Dianae Ephesinae; Mausolaecum, Mausoli, Cariae Regis, sepulcrum; Iouis Olympici simulacrum, quod Phidias ex ebore fecit; Muri Babylonici a Semiramide constructi; Pyramides in Aegypto iuxta urbem Cairo, atque Cyri, Medorum Regis, domus, quam Menon prodiga arte excitauit.

SOLIS FILII, FILIAE, NEPOTES.

Phaetonti, Solis ex Clymene filio, iurgio obiicit Apis, quem Graeci Epaphum vocant, frustra illum de Sole patre gloriari. Ista conuicia ad matrem tulit Phaeton, eiusque hortatu incitatus, adit



Solis domum, terrae conterminam, certa generis signa quaesiturus. Venientem Sol comiter accipit, filium agnoscit, nullumque relicturus dubitationi locum, Phaetonti optionem dat petendi quidlibet, nihil se negaturum per Stygium paludem iurans, quod iuramenti genus violare, fas est deorum nemini. Petit Phaeton, sibi fieri potestatem, vno die regendi Solis currum. At patrem, prospicientem iam animo filii casum, statim poenituit iurasse, ostenditque ei, parum tutam hanc suam voluntatem esse, nec convenire ista munera viribus mortalium, aut tam puerilibus annis. Hic vero dictis repugnat, occupatque leuem currum. Sed quatuor solis equi, sentientes, iugum carere solita gravitate, tritum spatium relinquunt; et Phaeton, quum Scorpionum, madidum sudore nigri veneni, et vulnera minitantem, videret, lora, mentis inops, remisit: nubila inde fumant, et videt orbem cunctis partibus accensum. Iupiter vero compefcuit ignes saeuus ignibus, et fulmine tactus curruque excussus Phaeton procidit in Padum fluiuium. Ad eius littora, quum subinde Phaetusa, Lampetia et Phoebe sorores, fratris infortunium deslente, in populos arbores, electrum, lacrymarum loco, exsudantes, commutatae sunt.

Circe, Solis et Perseidis filia, venefica, Sarmatarum Regem, cui nupserat, veneno sustulit, regnoque eiecta, Italiae sedem maritimam Aëaeam, quae postea promontorium Circaeum dicta fuit, occupauit. Hic Scyllam puellam, quam Glaucus amabat, ex inuidia laborans, infectis fontibus, in quibus lauare assueuerat, vertit in monstrum marinum. Comites Ulyssis, qui vi tempestatis in illa loca delatus fuerat, poculi haustu et capillis virga tactis, pro suo more in porcos mutauit haraque inclusit. Ulysses vero, quem Apollo, oblato flore Moly, immunem a praestigijs reddiderat, stricto eam gladio coegit reddere fociorum corpora, estque ab ea hospitio exceptus.

Ex Neacra Sol *Pasiphaen* suscepit, quae Minoi Cretae Regi nupta, tauro se Daedali opera subiecit. Fuit iste *Daedalus* Atheniensis faber egregius, qui asciam, ferram, perpendicularum, terebram, glutinumque inuenisse fertur, malumque et antennas naui primus impouisse:

posuisse: quin statuas etiam tam eleganti artificio fabricatus est, vt non modo viuere viderentur, sed etiam (si credere fas est) stare loco nescirent, et nisi vinculis cohiberentur, aufugerent. Talus vero, ex sorore nepos, quem imbuerat praeceptis, tornum reperit, aliaque egregie perfecit, vt ipsum Daedalum arte videretur vincere. quam ob rem clandestinam eius caedem fecit, abiitque in Cretam. Quum autem Pasiphæe pareret Minotaurum, monstrum, media corporis parte hominem, reliqua taurum referens, negotium a Minoe Daedalo datum multiplicis domus faciendae, qua id includeret. Itaque condidit labyrinthum, quum fuit locus, variis viarum ambagibus, et flexuosis macandris, in se redeuntibus, anfractibusque inexplicabilibus, implicatus; summa erat eius tecti fallacia. Tandem perosus longum exilium (inclusus enim a Minoe cum filio Icaro detinebatur) alas sibi, ac suo filio, ex cera auiumque pennis confecit, iisque, dorso affutis, vna cum Icaro leuatur, & Siciliam volando petit. At Icarus, quum, spreto patris consilio, altius euolasset, cera solis calore liquefacta, decidit in insulam maris, quae inde Icaria dicta est. Pater, corpore filii sepulchro condito, ad Cocalum, Siciliae Regem, peruenit.

Horae censentur Solis et Coronidis filiae, quorum sit iungere equos currui Solis, eiusque boum armenta custodire. Ceterum ipsum Solem Aegyptii Horum vocant.

Solis nepotes sunt *Biblis* et *Caunus*. Illa hunc fratrem ita perdit amauit, fugientemque tandem insequuta est, donec labore fracta, oppressaque moerore, sub arbore confidens, tantam profudit lacrymarum vim, vt in fontem conuersa sit.

Sed, ne fastidium creent, quae delibari tantummodo volebam, hinc me recipiam ad iuuenes declamatorios, ex quibus tres discessus causa verba facient. Primus ad dicendum surget

GEORGIUS AVGVSTVS EBELL, Summe Venerabilis Abbatis Luccensis filius, cuius fratris, perquam mature inter caelites relati, memoria hac in Musarum sede nunquam interciderit. Periculum autem faciet verbis Latinis demonstrandi, vt late pateat Matheseos vsus.

CHRI.



CHRISTOPHORVS LVDOVICVS HAHN, Frey-
burgo-Thuringus, ostendet patrio sermone, animi firmitudinem ex
ingenii cultu nasci.

GEORGIVS CHRISTIANVS SCHNOBEL, Wil-
deshusa-Bremensis, lingua Anglicana ager de his, qui in rebus aduer-
sis, non se, sed fatum, quod inane nomen est, culpant.

AVGVSTVS FRIDERICVS VDALRICVS BEH-
LING, Hannoueranus, ante quam vale dicat, conabitur Theotisca
lingua planum facere istud Socratis (*): viam maxime compendiarium,
tutissimam et rectissimam esse, vt in quo quis bonus esse videri velit,
operam det, vt sit. Hi dicent ante meridiem. Pomeridie

GOTTLOB LVDOVICVS ZIEGLER, Stolbergen-
sis, Latino sermone declarabit, qualis honos habendus sit literarum
promotoribus, idque ad Paedagogii nostri Patronos transferret, vt
bene ipsis abiens dicat.

ANDREAS LVDOLVFVS IACOBI, filius Summe Ve-
nerandi Sacrorum apud Cellenses Antistitis (cuius scripta prorsus e-
gregia omnium in manibus sunt) abitionis causa differet de voluptate
et molestia, quam homines ex rerum vicissitudine capiant, idque
vernacula lingua. Denique

HENRICVS IVLIVS ENGELHARD BORCKEN-
STEIN, Clausthala-Cheruscus, commoda, quibus intima amicitia
redundat, enarrabit lingua Gallica, et abituris prosperitatem omnem
apprecabitur.


Has orationes iuuenum, quos inprimis caros habeo, et qui ad-
huc multum operae in literis colendis, bono cum successu, posuerunt,
vt benevole audiant Fautores huius Paedagogii, Doctores et Alumni,
quo decet omnes affectu rogo. Scrib. Ilfeldae hercyniae a. d. ix Cal-
lend. Mart. A. R. S. cloccclxiii.

(*) Apud Xenophontem in memorab. Socr. lib. II, cap. 6, tom. III p. 115 ed.
Oxon. Graeca verba sunt haec: ἀλλὰ συντομοτάτη τε, καὶ ἀσφαλές αὐτή, καὶ καλλίστη
οὐδὲς ἢ Κρίσιβελις, ὅ, τι ἐν βέλῳ δοκεῖν ἀγαθὸς εἶναι, τὸτο καὶ γινέσθαι ἀγαθὸς περιέσθαι.



CHRISTOPH

Handwritten mark



B.I.G.

Farbkarte #13

BR. 932, 41

B. m. II c
14

CONSILIVM
DE EDENDO
DVCTV AD LEGENDVM SCRIPTORES
GRAECOS LATINOSQVE
EXPONIT

ATQVE

SERMONES X 23^3065

IN PAEDAGOGII ILFELDENSIS

AVDITORIO PRIMO

A. D. V NON. MART. H. C.

AB SEPTEM

IUVENIBVS ORNATISSIMIS

HABENDOS

HVMANITER INDICIT

M. CONRADVS NAHMMACHER

PAEDAGOGII REGII ILFELDENSIS DIRECTOR

SOCIETATIBVS LATINAE IENENSI ET THEOTISCAE HELMSTADIENSI

ADSCRIPTVS

HANNOVERAE

TYPIS EXSCRIPSIT H. M. POCKWITZIVS

CIOCCCLXIII.

